tamen studia [tanquam] atque pestis oderint! Et quid per superos in toto orbis theatro est, quod non litterarum auxilio indigeat, ponat ergo aliquis ante oculos omnes aetatis humanae partes omnium temporum varietatem, omnes instituendae vitae ~~est~~ rationes et vias, animo et cogitatione percurrat, nihil omnino reperiet quod non litterarum egeat subsidio, ut si illud abstuleris, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Sed quorsum haec auditores quorsum? Ut agnoscatis utilitatem honestatem iucunditatemque studiorum, quam maximam adolescentibus conferri si ad academias aliquas celebres mittantur. Cum enim in Italia Gallia Germania utraque ceteris in regnis atque provinciis publicae scholas ab Imperatoribus regibus Principibus aliisque viris tum genere tum dignitate praestantissimis videmus esse constitutas, multaque privilegia et immunitates concessas illis qui eas studiorum gratia frequentant, quam ut iuvenes ad eas mittantur et in illis omnibus bonarum litterarum studiis atque disciplinis erudiantur instruantur atque informentur ut in maximam utilitatem illorum cedant et tota respublica Christiana foveatur tueatur atque defendatur. Et quaeso auditores humanissimi considerate utilitatem non tantum illorum, qui rempublicam administrant sed etiam de eorum virorum adhuc in Monasterio nostro viventium, qui ad scholas publicas sunt missi hos inquam considerate quam nunc possint cui prosint quam utilitatis afferant Monasterio nostro sed unde haec quaeso? non aliunde profecto per Deum nisi ab academiis ubi haec omnia collegerunt.